



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 38. In qua quantitate & ex quibus bonis hæ arrhæ constitui possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

*Quest. 36. An pœna illa dupli vel quadrupli adjecta traditioni arrharum obtineat in Jure Canonico, & solvenda in foro conscientie.*

**R** Esp. ad primum affirmativè. Sanch. l. 1. d. 36. n. 11. Gutt. de matr. c. 18. n. 7. Duacen. de sponsal. ad tit. ff. solut. matrim. §. 4. in fine. Pont. l. 12. c. 19. n. 2. Cõn. l. c. du. 3. n. 14. Castrop. n. 3. correctio enim legum, quantum fieri potest, evitanda, ergo Jus Canonicum reprobandis pœnam sponsalibus adjici, intelligendum de pœna per se sumpta & propria sponsalium, quæ à Jure civili reprobat, non de pœna arrharum contractui conjuncta, & à Jure civili approbata, ut ita jura iuris sint conformia. Neque etiam eadem est ratio in hac pœna dupli vel quadrupli, ac in mera pœna sponsalibus adjecta, dum hæc in magna quantitate plerumque constituitur; quia nihil trahitur tempore contractus, ex quo limitationem recipiat. Pœna verò dupli vel quadrupli plerumque fit in exigua quantitate, & ex arrhis limitationem recipiat. Ita Castrop. l. c.

2. Resp. ad secundum: Nisi aliud verbis expressum sit, non debetur pœna illa dupli vel quadrupli ante sententiam Judicis saltem declaratoriam; nec satis est illam à parte peti (quam petitionem ad pœnam necessariam esse ad executionem hujus pœnæ communiter astruunt omnes. Pont. l. c. n. 5. Gutt. c. 18. n. 19. Cõn. Less. &c.) Castrop. l. c. n. 4. remittens ad seipsum, p. 1. r. de LL. d. 2. p. 3. ubi probabilis censuit, pœnam conventionalem non deberi ante sententiam Judicis saltem declaratoriam. Et de pœna quidem, quam *cu. l. fin.* statuit, nimirum ut recipiens, & non vicissim tradens arrhas, si culpabiliter resiliat, reddat arrhas, & insuper earum valorem, dicit esse communem sententiam, teste Sanch. d. 37. n. 1. Gutt. l. c. n. 18. eò quòd hæc non sit pœna conventionalis, sed legalis. Quamvis ipse defendat non esse pœnam purè legalem, cum, ut Cõn. l. c. 18. lex illa non statuatur ultra arrhas reddi valorem in pœnam alicujus culpæ, sed ut æqualitas servetur in contractu, nempe ne illas tradens amittat, & recipiens nihil ex propriis amittat. Contrahentes verò præsumi debeant, contrahere juxta æquitatem à jure præscriptam; ideoque recipiens illas defendendus sit obligari ex contractu ad illas illarumque valorem restituendum, & consequenter valor eorum debitus est, non ex lege tantum, sed ex conventionione de pœna hac solvenda ob violatam fidem, & ideo sententiam Judicis requirat. Sed neque ex eo, quòd tradens arrhas injustè resiliens amittat eas sine ulla expectata Judicis sententia, sequitur, quòd recipiens illas teneatur quoque ante sententiam ad duplum illud vel quadruplum; sequeretur enim aliàs, ne quidem ad hoc requiri petitionem partis, sicut ea non requiritur, ut tradens eas amittat. Sed illud solum sequitur, quòd recipiens illas teneatur ante sententiam Judicis, & ante petitionem partis eas reddere, quia hæc non est pœna contractui adjuncta, sed ipsius contractus natura; cum natura pignoris in securitatem contrahendi matrimonii concessi perat ipso jure reddi concedenti, dum per eum non stetit matrimonium non iniri; quia non absolutè donavit, sed sub conditione, quòd injustè non exequatur contractum matrimonii. At ultra pignus reddere illius valorem, vel etiam triplum aut quadruplum est contractui accidentarium, & solum ex matua conventionione debitum, ac proinde in pœnam; adeoque, cum

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

expediens sit, ut omnis pœna conventionalis in illius executione imitetur legalem, quæ sententiam Judicis requirit, etiam pœna illi reddendi duplum, triplum &c. utpote conventionalis, dictam sententiam requirit,

*Quest. 37. Quæ sit natura arrharum datarum sponse à sponso in remunerationem pudicitie, nobilitatis, & dotis acceptæ.*

**R** Esp. primò: Hæc arrhæ, quæ apud Germanos veniunt nomine *Morgengabe* seu doni matrimonialis, ut Krimer, in 4. decret. n. 1711. differunt plurimum ab arrhis datis tanquam pignus pro securitate matrimonii contrahendi; cum etiam dari à marito possunt uxori post contractum matrimonium, quin & dari solita altero nuptiarum die novæ nuptæ pro thesauro pudicitie. Dantur nihilominus etiam à sponso sponse de futuro in præmium virginittatis à sponso lædendæ, ut Castrop. l. c. p. 12. §. 3. n. 1. & in quibusdam locis solis virginibus constitui possunt. Krimer, l. c. ex Haunold. de Just. r. 4. n. 330. posse tamen etiam concedi viduæ, cum non necessariò concedantur in præmium virginittatis, sed etiam vidualis pudicitie; docet Castrop. l. c. n. 2. cum Gutt. cit. c. 19. n. 9. & aliis. Quin &, si sponsa, quam sponsus putabat esse virginem, talis non sit, posse nihilominus has arrhas eam detinere, contra Vegam L. 1. sum. casu 387. & alios sentit Castrop. n. 3. citatis Gutt. n. 8. Sanch. l. 6. d. 27. à n. 4. idque etiam si tradens illas traditurus non fuisset, si scivisset, non esse virginem. Quinimò etiam si in instrumento donationis sola apposta fuerit causa virginittatis ad has arrhas concedendas, id æstimandum sit ex stylo imperito notariorum factum, & non ex voluntate contrahentium. Castrop. loc. cit. citans Covari. in rub. detestam. p. 2. n. 4. Gutt. Tiraquel & alios, rationem reddens, quòd arrhæ hæc non tantum dentur in præmium virginittatis, sed etiam in compensationem nobilitatis, & dotis receptæ; adeoque non cessaret finis adæquatus, etsi contingat error circa causam minus principalem, seu potius impulsivam, & extrinsecam. Secus tamen videtur dicendum, non tantum, ubi sponsus expressisset contrarium, sed etiam manifestum, non adesse nobilitatem, aut dotem, quæ compensetur, ex quibus infero, &

2. Resp. secundò: Donationem harum arrharum non habere rationem meri lucri, seu procedere ex mera liberalitate, sed esse donationem remuneratorem, & onerosam; cum præcedat in remunerationem pudicitie, nobilitatis, adeoque licitam etiam inter de facto conjuges, ut Sanch. l. 6. d. 29. Gutt. n. 19. quin & prærequirat obligationem virginittatis, & pudicitie, quæ utique est res pretio, & remuneratione digna, non tantum facta ante matrimonium, quando uxor potest nolle pudicitiam suam prostituere in matrimonio, nisi arrhis sibi designatis, ut Castrop. l. c. §. 9. n. 5. sed & matrimonio jam contracto, dum prostitutio virginittatis, vel pudicitie adhuc non est simpliciter debita, quia uxor Jure Canonico habet duos mentes ad deliberandum pro transitu ad religionem.

*Quest. 38. In qua quantitate, & ex quibus bonis hæc arrhæ constitui possint.*

**R** Esp. ad primum: Alii à sponso concedentes has arrhas nomine proprio, & ex bonis propriis

D

propriis

propriis concedere eas possunt in qualibet quantitate. Castrop. *loc. cit. d. 4. num. 1.* Sanch. *L. 6. d. 29. num. 18.* Gutt. *c. 19. num. 25.* ex bonis verò donantis, neque ab ipso donante, neque ab alio constitui posse has arrhas ultra decimam partem bonorum donantis spectato Jure Regis Hispaniæ, ait Castrop. *loc. cit.* in re autem communi nullam factam restrictionem in hac arrharum constitutione.

2. Resp. ad secundum primò: Arrhæ hæ constitui possunt ex bonis, quæ donans tempore donationis, vel promissionis arrharum habet, & non ex iis, quæ postmodum habiturus est. Sanch. *l. c. num. 6.* Gutt. *l. c. num. 18.* Castrop. *l. c. num. 2.* Unde si tempore promissionis nulla habeat bona, tamen si ea habeat postmodum, nulla est promissio, & ad nihil tenetur; quia non ex futuro eventu, sed ex præsentate regulanda est promissio; promittit enim arrhas ex suis bonis, bona autem futura non sunt, sed erunt AA. iidem. Neque obstat *l. fin. c. quæ res pignori.* ubi sub hypotheca bonorum non solum præsentia, sed & futura intelliguntur. Id siquidem est speciale in hypotheca; eò quòd ex comprehensione futurorum bonorum non extendatur obligatio (sicut in præsentati casu contingeret) sed obligationis securitas, Sanch. *num. 7.* Castrop. *loc. cit.* Quòd si tamen expressè non solum de præsentibus, sed & de futuris (uti facere potest. Castrop. *loc. cit.* promitteret arrhas, donatarius poterit eligere tempus, in quo fiat bonorum computatio, dum fortè alicubi lex vel mos est, ut non excedant arrhæ decimam aliamve certam partem bonorum. Sanch. *num. 5.* Castrop. *loc. cit. num. 2.*

3. Resp. ad secundum secundò: Bona tradentis, vel promittentis arrhas sunt, quæ remanent deducto ære alieno; quia quæ aliis debentur, nostra censeri non debent, & bona appellatione naturali alicujus sunt, quæ supersunt deducto ære alieno. *L. Subsignatum. ff. de V. S. Sanch. nu. 11. & 12.* Gutt. *q. 9. pract. q. 42.* Castrop. *l. c.* & in contractibus sumuntur bona appellatione naturali. Rebuff. *in l. bonorum appellatione. ff. de V. O.* bona verò, quæ verè aliena sunt, & alteri debita, tamen si ut propria bona etiam fide possideantur, computari non debent; eò quòd, quod alteri debetur, non est propriè suum, sed alienum, etsi ob ignorantiam proprium esse credatur; ergo computandum non est in bonis tuis maximè in tibi præjudicantibus, quales sunt promissiones, & obligationes, etsi de cætero in favorabilibus, & ad effectus civiles, v. g. ad actionem, & exceptionem, ad præscriptionem, ad possidendum officium, quod ex instituto vel lege cavetur, ut nemo possidere possit, qui non habet v. g. in bonis suis mille, censentur propria. Ita tenent Castrop. *loc. cit. num. 4.* Sanch. *L. 6. d. 30. num. 2.* Gutt. *de matrim. l. c. nu. 27.* contra Molin. *de just. Tom. 2. tr. 2. d. 431.* & alios plures apud Castrop. *num. 3.* quibus non favet *l. cit. bonorum.* cum in ea non dicatur, bona nostra esse, quæ bona fide possidemus, sed in bonis nostris spectari quod minus est, ad quem effectum sufficit bona fides. Neque illud, quod afferunt de præsentato à possidente bona fide jus patronatus, qui non remouetur, tamen si postmodum præsentator à possessione, & jure patronatus remouetur; quia in præsentatione non attenditur proprietates, sed possessio juris patronatus, cum sit veluti fructus, qui debetur bonæ fidei possessori. E contra inter hæc bona computari debent bona, quæ tibi debentur, & ad quæ recuperanda habes

actionem; quia moraliter tua sunt, *cit. l. bonorum.* Sanch. *nu. 13.* Gutt. *cit. n. 17.* item officia, v. g. tabellionatus, dum vendibilia sunt, uti & alia vendibilia, dum enim vendi, & pretio æstimari possunt, sunt habenda in parte bonorum. AA. iidem.

4. Resp. ad secundum tertio: Possit quoque has arrhas constitui in feudo cum consensu Domini directi, vel etiam sine illo, dum feudum est hæreditarium. Krimer. *cit. num. 1711.* citato Haunold. *Tom. 1. de just. tr. 4. num. 330.* qualiter verò, dum constituitur à possessione majoratus, spectandus non sit valor majoratus, sed fructus, vide apud Castrop. *l. c. nu. 6.*

5. Resp. ad secundum quarto: Arrhæ hæ promissæ à marito habente filios ex priore thoro, vel etiam his cessantibus, alios ascendentes legitimos, num extrahendæ sint arrhæ promissæ, uti & alia debita ex communi corpore hæreditatis, an verò solum ex ea parte hæreditatis, de qua liberè disponere potest, non conveniunt AA. prius affirmant aliqui; eò quòd arrharum constitutio non sit gratuita, & liberalis donatio, sed remuneratoria; donatio autem remuneratoria, utpote debita ex honestate, extrahenda ex cumulo hæreditatis. Negat è contra Castrop. *l. c. n. 7.* citatis Spino *in speculo testam. gl. 18. nu. 94.* Sanch. *L. 6. d. 38. num. 15.* Gutt. *cit. c. 19. n. 39.* eò quòd cum nullo jure attingatur sponfus arrhas sponsæ assignare, & tamen hæc assignatio sit aliquo modo remuneratoria, sit tamen voluntaria, æquum non sit propterea legitimum filiorum aut ascendentium, quæ ex rigore justitiæ debetur, minuire. Secus tamen, ut iidem AA. esse, seu ex toto cumulo hæreditatis arrhæ extrahendæ, ubi tempore, quo arrhæ promissæ, nulli fuerunt ascendentes aut descendentes, ita ut dein natiuitate filiorum aliorumve descendentium hæc arrharum donatio non revocetur, aut aliquo modo restringatur; utpote quæ non omnino libera, sed remuneratoria, per quam jus sponsæ quaesitum. De cætero, an, ubi in certa quantitate determinata arrharum constitutio, valeat excedens illam quantitatem quantitas, vide apud Castrop. *l. c. §. 5. per totum.* Item à quo probandum contineri arrhas intra dictam quantitatem, vide apud eundem, §. 6.

#### Quæst. 39. Qui arrhas constituere, & promittere possint.

1. Resp. primò: Eas tam sponfus, quam ejus parentes & consanguinei, quin & quilibet extraneus nomine illius promittere potest. E contra tamen quandoque sponsa ejusque parentes, sponso constituere possunt arrhas in præmium nobilitatis & divitiarum excessus. Sanch. *L. 6. d. 29. n. 4.* Gutt. *l. c. n. 16.* Castrop. *l. c. §. 8. n. 1.*

2. Resp. secundò: Si minor carens curatore promittat seu donet arrhas de bonis immobilibus, vel mobilibus, quæ servando servari possunt, nulla est promissio aut donatio, nisi factâ sententiâ Judicis intercedente, Horum enim bonorum alienatio absque sententiâ & decreto Judicis inrerdicitur minoribus, *L. non solum l. prædia. c. de prædiis minorum.* Sanch. *l. c. d. 38. n. 37.* Castrop. *l. c. n. 2.* Verùm elapso quinquennio post ætatem 25. annorum ipso jure ratificatur, & confirmatur talis arrharum promissio & donatio, sicut si alienatur res immobiles titulo oneroso. Sanch. Castrop. *ll. cit. Bart. Bald. Salicet. & c.* id probantes ex *l. fin. c. si major factus alienat. factum sine decret. jud. ratam hab.* Si verò minor